

RECTOR  
ACADEMIÆ LVDOVICIANÆ  
CHRISTOPH. FRID.

AYRMANNVS,

HISTOR. PROF. PVBL. ORDIN.

VNA CVM VNIVERSO

SENATV ACADEMICO,

*LECTIONES HIBERNAS*

*TAM PVBLICAS QVAM PRIVATAS,*

A SINGVLIS OMNIVM FACVLTATVM PROFESSORI-  
BVS HABENDAS,

INDICIT, AD EASQVE SEDVLO AVDIENDAS

*GENEROSOS AC NOBILISSIMOS*

ACADEMIÆ CIVES

PERAMANTER INVITAT.

*D. XIII. SEPTEMBER. ANNO c19 19. ccxxxiii.*

SVB SIGILLO ACADEMIÆ MAIORI.

---

*G I E S S Æ,*

Typis EBERH. HENR. LAMMERS, Acad. Typogr.



*In Facultate Theologica.*

**D. IO. IACOBVS RAMBACH,**

*Prof. Theologiae primarius, nec non Superintendens primus  
& Consistorii Assessor.*

**P**ublicis lectionibus hor. XI. interpretationem *Psalmodum*, ex ebraeis fontibus hactenus institutam, & ad medium libri perductam, bono cum Deo absoluet. In priuatis lectionibus & *theologiam dogmaticam* hor. IX. assidue continuabit; & *hermeneuticae sacrae* praecepta hora III. fideliter tradet, copiosisque exemplis illustrabit. Denique gratis & publice, diuersis quauis hebdomade horis, 1) *methodum catechisandi* docebit, 2) *conciones sacras*, in auditorio priuato habendas, censebit, 3) in *idea genuini Theologiae cultoris* formanda perget; quin & diebus dominicis, post sacra publica finita, *pericopas epistolicas*, breuiter explanatas, ad vitae christianae praxin adcommo- dabit.

**D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*Theol. P. P. O. nec non Districtus Marburgo-Darmst. Superintendens & Consistorialis.*

**P**ublice adhuc eruditorum merita in Patrum Eccl. scripta exposuit, nunc V. D. in proponendis Socinianorum principis pessimis occupatus, enchiridium beati & in cinere venerandi D. SCHVARZENAVII, itemque B. RVDIGERI nostri, nec non vener. D. D. LANGII in Acad. Hal. Theologi, operam sequetur. *Priuatum* in explicandis lib. Regum perget, & ex voto nonnullorum Dnn. Auditorum B. BAIERI theol. positivae compendium, adhibita undique B. RVDRAVFII theologia tripartita, explicabit.

REINH.

# REINH. HENR. ROLLIVS, D.

*Prof. Publ. Ord. Consist. eccles. Assessor, ac Dioces. Alsfeld.*

*Superintendens, Facult. Theol. h. t. Decanus.*

**P**ublice in prælegenda *Theologia polemica Rudrauffiana* perget, illique *disputationes*, publice pariter habendas, singulis hebdomadibus adjunget, initium earundem prolusione quadam ex tabula significaturus. Lectionibus biblicis, in libros novi testamenti historicos priuatim habitis, *Commentatio in historiam passionis et resurrectionis D. N. Jesu Christi*, ex quatuor Euangelistis coagmentatam, ac in certa pensa distributam, succedet, qua & succincta exegesi singula explicabuntur momenta; & dubia à recentioribus etiam Criticis mota, ut recensiones Euangelistarum, recte inter se collatas, optime sibi constare pateat, soluentur; & omnia denique, cum in nuda cognitione subsistendum minime sit, ad praxin pietatis dirigentur. *Lectioes quoque dogmaticas* in Baieri compendium, nuper inceptas, ut hæcenus continuabit, id operam præcipue daturus, ut dogmata sacra non solum recte explicentur, sed & ex locis, quos vocant, classicis, in subsidium vocatis fontibus, tam dilucide probentur ac illustrentur, ut veritas doctrinæ, quam magno consensu Ecclesiæ nostræ profitentur, in solis quasi disco posita intelligatur.

# IO. CONRADUS ARNOLDI,

*S. Theol. D. & Prof. Ord. ut & Acad. Biblioth.*

**H**oris consuetis *publice*, Exegetin Evangelii secundum Matthæum theoretico-præcticam, sedulo persequetur; *privatim*, theologiam thetico-antitheticam, ex compendio Baieriano, proxime ad finem perducet; Theologiæ quoque Moralis, ad ductum Buddeanum, illustrationem, & ad incrementum vitæ spiritualis manuuctionem, præterito semestri cceptam, continuabit; præterea argumenta, publice privatimque disputandi,

tandi, pro temporis hiberni ratione, & industriorum S. Theologiae Studioforum desiderio, ad gloriam Dei amplificandam, & Dnn. Auditorum profectus promovendos, lubens meritoque suppeditabit.

*In Facultate Juridica.*

**IO. FRIEDERICVS KAYSER,**

*J. V. D. & P. P. Ord. ac Primar. nec non Rerum Oeconom.*

*in hac Alma Ludoviciana Inspector.*

**P**ER instans Semestre hibernum lectiones coeptas, Institutionum, Pandectarum & Jurispubl. continuabit, & ad finem perducere sedulo contendet. Nova quoque Collegia, pro desiderio Dn. Dn. Commilitonum, aperire non recusabit.

**D. JO. FRIDERICVS WAHL,**

*P. J. O. & Acad. Syndicus.*

**P**UBLICe STRYKII Examen Juris Feudalis illustrabit. *Pri-*  
*vatim* vero praelectiones ad Digesta & Institutiones continuabit, easque ad finem perducet, nec non alia collegia Juridica pro desiderio Dnn. Auditorum auspiciabitur.

**D. IO. GEORG. ESTOR, P. J. O.**

**Q**Uamprimum lectionibus ad BEYERI Ius Germanicum finem fecerit, celeberrimi MOSERI Ius publicum hora decima interpretabitur. Horam octavam elementis pandectarum V. C. IO. GOTTL. HEINECCII destinabit. Neque iis deerit, qui commentationes ad constitutiones Caroli V. desiderabunt. Ceterum lectiones priuatissimas, ea, qua coepit, industria, continuabit.

**D. JOH. FRIDER. MOEGLING,**

*Prof. Jur. Ordin p. t. Decanus.*

**O**Peras explicandis tum Institutionibus tum Pandectis dicat

tas continuabit, quoad reliqua repetens non solum oblationem iam antea & saepius factam prompta & fidelis assistentiae in promovendis Dnorum Commilitonum studiis iuridicis, sed & iterata promittens vice se lubentissime pro desiderio ad specialiorum quoque Iuris partiū tractationem accincturum.

*In Facultate Medica.*

**D. JOH. CASIMIR. HERTIVS,**

*Prof. Publ. Ord.*

**P**ublice lectiones anatomicas repetet: Privatim vero, plantarum, quas haecenus demonstravit, usualium vires exponet.

**IO. MELCHIOR VERDRIES, D.**

*Med. Prof. Publ. Ordin.*

**S**i Deus vitam & sanitatem dederit, cursum totius Medicinae nuper coeptum prosequi impigre perget: neque ulla in re deerit, ubi commoda diligentium Philiatorum promovere ipsi integrum fuerit.

**LVD. HENR. LEO HILCHEN,**

*Prof. Publ. Ordin.*

**P**ublice collegium *Physiologicum*, quod prope finem est, hoc semestri brumali absoluet, finitoque eius vice *Pathologicum* subiunget. *Privatim*, absoluta *Pathologia*, ad reliquas artis salutaris partes progredietur.

*In Facultate Philosophica.*

**D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,**

*Math. P. P. O. Acad. Senior.*

**E**x peculiari Serenissimi Principis ac Domini Nutricii nostri Clementiss. mandato in scientiarum Mathem. genere quocunque

quocunque proponendo, vti antea perget; & quidem per instans semestri Trigonometrica principia, vt & ex Generos. Dn. Commilitonum desiderio Architectonica vel alia quacuis illustrabit.

## IO. MELCHIOR VERDRIES, D.

*Philos. Natur. P. P. O.*

**P**Artem Philos. Natural. specialem hoc semestri absoluet. Praeterea ad vota, desideria, captum sedulorum Auditorum opellam suam accommodabit.

## CHRIST. FRID. AYRMANNVS,

*Histor. Prof. Publ. Ordin.*

**P**riuatis lectionibus *Historiam uniuersalem* a Christo nato ad praesentem usque annum deducet, & finitis Reſtoratus laboribus *Historiam particularem praecipuorum Europa Statuum* aggredietur, publice *Historiam et Antiquitates Iuris Romani* illustraturus.

## JAC. FRID. MULLER, P. P. O.

**R**ogatus a compluribus egregiae indolis literarum Cultoribus, quibus, Philosophiam primam eamque puriorem haecenus inter nos tantopere neglectam fuisse, displicere incipit, absoluta in Lectionibus publicis Logica, ad doctrinam de humana cogitandi & volendi facultate progredietur, ut cuius sedulo Auditori via ad noscendum sese ipsum magis magisque aperiat, & principia, a quibus plura erga nos ipsos pendent officia, innotescant. Collegium Logicae practicum lectioni publicae adjunctum Auditorum suorum commodis velificaturus continuabit. Et si quo labore alio ignorantiam, credulitatem, aliudve malum naturae humanae contrarium infringere potuerit, Deo annuente omnia in eo sincere ardentemque operam collocabit.

# IOH. LVDOV. ALEFELD,

*Poës. Prof. Ordin.*

**P**ublice in libr. IX. & X. Aeneid. commentabitur : *privatim* vero introductionem in artem poëticam, generatim & univ-  
erse spectatam, exhibebit. Ad cetera quod attinet, non  
solum reliquias laborum aestiuorum brevi tempore confi-  
ciet; sed novas etiam praelectiones alias ex voluntate illo-  
rum, quibus opera sua uti placuerit, auspicabitur.

# IO. CHRISTOPH. EBERWEIN,

*Phil. Prof. P. Ord. Paedagogiarcha & ad arcis templ. Pastor.*

**L**ectiones logicas & ontologicas vel ad tabulas Rudrauffia-  
nas vel ad ductum Phil. Instr. B. Buddei denuo perse-  
quetur, cursuque semestrali, Deo sospitante, absoluet, sedu-  
lam operam daturus, ut inutilibus minusque necessariis omif-  
sis praecipua saltem & selecta ex Philosophia tam recentioris  
quam antiquioris aevi proponens, viam ad superiores facul-  
tates per praecepta planam, per exempla facilem desideran-  
tibus commonstret; nec illorum desiderio defuturus, qui  
praecepta artis disputandi breuiter & perspicue voluerint ex-  
plicari.

# ERNEST. FRID. NEVBAVR,

*Antiquitatum, graecarum & orientalium litterarum P. P. O.*

**I**n *graecis* epistolam ad *Ebraeos*, stili non minus elegantia in-  
signem, quam vbertate rerum, cum primis *antiquitatum*  
sacrarum conspicuam, publice interpretabitur. *Privatos* la-  
bores *Esaie* vaticiniis, ex *ebraeo* fonte explicandis, impendet.  
Praeterea non solum in gratiam incipientium grammaticam  
DANZIANAM tractabit praxique vberiori inculcabit, verum  
etiam selectioribus ingeniis cursum linguarum orientalium,  
*Chaldaeae, Syriacae, Rabbinicae, Arabicae, Aethiopicae*, vna  
cum *Accentibus Ebraeis*, curate tradet, operam daturus, vt,  
minutiis relectis, vtilia praecipiat & perpetua lectione con-  
firmet.

( 0 )

---

firmet. Animus quoque est, varias Differtationes philologico-antiquarias publice habere, si praestantissimorum Auditorum, quidam respondentium officio defungi velint. Adsit conatibus numen benignissimum!

**CHRIST. LUDOV. GERSTEN,**

*Prof. Mathem. Ordin.*

Cum primum confecto itinere, quod jussu Serenissimi hujus Academiae Nutritii ingressus est, patriis Musis redierit, officium clementissime sibi demandatum solenni oratione auspiciabitur, operamque dabit, ut novam spartam viriliter exornando, studiosae Juventuti in quacunq; Mathes. parte satisfaciat.

**IO. HERMANNVS BENNER,**

*utriusque eloq. P. P. O.*

Publice praecepta tradam eloquentiae, ducem in plerisque V. C. HEINECCIVM secuturus. Addam è poetis HORATIVUM, ex oratoribus vel CICERONEM vel PLINIVM, quorum spiritu praeceptiones per se languidae, vigeant. Priuatim chrias, epistolas, orationes, pura venustaque dictione contexere, variis exemplis, vsuque perpetuo docebo. In sanctioribus litteris ita versabor, ut, qui numinis oracula scrutantur, non nihil in posterum quoque per me proficiant.

**CHRIST. LVD. RVDIGER, P. P. Extr.**

Apicem totius eruditionis humanae analysin puta mathematicam, finitorum quam infinitorum; optimos, per uniuersum scientiarum ambitum, auctores nosse: nec non, heroicam heroum notitiam insignium construendorum resoluendorumque, vulgo heraldicam dictam, anhelantibus tradere sataget.

---

Habebunt etiam Generosi & Nobilissimi Cives commodissimam occasionem, in arte equestri, in ludo palestra, in arte comode & perite saltandi, nec non in lignis exoticis, Gallica, Italica, apud exercitiorum istorum, & linguarum Magistros, publica auctoritate constitutos, habiles admodum & idoneos, proficiendi, profectus suos augendi, partamque habilitatem perficiendi.